Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1533
Quelle:
Copyright:

dictus de bassya in Wyenna sepultus, cujus et Epitaphium sat notum praecedit.

CCCCXIII.

649 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 98. 4. exhibet: I. ἀδεσποτως *Petri Tzach de Pulka* Theologi Vien. Tractatum contra *Hussitas*, qui incipit: *Iussit reuerendissima vestra Paternitas et metuendissima Dominacio* &c. et relatus est pluries ut *Index* docet.

II. *fol.* 34. p. 2. alium Tractatum pariter ἀδεσποτον contra necessitatem Communionis sub utraque Specie, qui incipit: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum* &c. *Num. C. 16. Salubre documentum hec dei sententia prestat cunctis fidelibus* &c. Orditur a querelis contra eos, qui *Bohemiae* regnum in Schisma imo in Haereses, ut ait Autor, induxerunt obtentu legis Christi, *cum tamen e conuerso per hanc ipsorum nouitatem subuerse sint ecclesie, persone plurime religiosissime crudeliter occise, cultus diuinus in toto regno exterminatus, ac ipsum regnum per sediciones, ignes, depopulaciones et innumeras hominum strages nimis desolatum.* Unde de Scriptionis tempore conjicias. *Opusculum* porro verbis Autoris *in tres tractatulos diuisum est. In quorum primo declarantur auctoritates sacre scripture quas hussite allegant ad probandum prefatum communionis articulum et soluuntur argumenta que ex eisdem auctoritatibus induxerunt. In secundo ponuntur soluciones racionum quas ex dictis Doctorum multipliciter roborare frustra conati sunt. In tercio habentur efficaces raciones quibus euidenter ipsorum error conuincitur*, &c. De Scriptore cogitanti *Joh. Nider*, *Nic. de Dünkelspühl*, *Thom. Haselbachius* se offerunt; non enim *Bohemum* putem.

CCCCXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 180
XV. Folior. 290. f. bene scriptus exhibet sequentia: I. redit *Tractatus bonus contra quatuor articulos hussitarum*, hic anonymus, sed qui jam *Cod.* CCCCXII. sub nomine *Petri de Pulka* comparuit.

II. *fol.* 56. Hussitarum Autoritates et Argumenta pro necessitate duplicis speciei. Initium absque inscriptione: *Hussite multipliciter nituntur fulcire intencionem suam de communione populi laycalis sub utraque specie* &c. Finis: *Corpus christi sub forma panis et sangwinem sub forma vini. Das hat auch end.* Ex qua clausula vulgari *Bohemum* scriptorem arguo.

III. *fol.* 60. *Materia questionis de paupertate cleri tractata in concilio Constantiensi.* Initium: *Vtrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliquid possidere. Vna pars tenebat non esse licitum. Alia defendebat esse licitum id quod a quingentis annis et amplius ecclesia de more habuit. Primo ponam*